



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Suumma [!] de laudibus christifere virginis Marie**

**Albertus <Magnus, Heiliger>**

**Colonie, 1502**

**VD16 A 1357**

De spe[ci]b[us] te[m]perantie

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69610](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69610)

# De perseverantia fo. xl.

virginis fuit immobilis et omnium aliorum mobilis. Ergo eius constantia aliorum constantia inproporcionabiliter maior fuit.

**¶** De perseverantia. Post hec querit de perseverantia. que dupliciter dicitur. Uno modo propositum per perseverantiam in fine. Alio modo actus perseverandi in fine voluntas beatissime virginis ad perseverandum fuit inflexibilis. omnium voluntas aliorum flexibilis. Ergo eius perseverantia aliorum perseverantie est inproporcionabilis.

**¶** De temperantia. Postea de temperantia. que sic describitur secundum philosophum. Temperantia est illiciti animi impetus firma et discreta dominatio. Item Math. Erant qui manducaverant quasi quattuor milia hominum. Glo. Temperantia est refrenatio cupiditatis ab his que temporaliter delectant. Sed in hac definitioe definitur temperantia secundum actum vite et non patrie. et secundum actus istos non fuit temperantia in beatissima virgine. Ergo non habuit temperantiam per modum vite. sed patrie. Item Augustinus. Temperantia est amor incorruptibilis in deo et integer. sed tam amor et incorruptio et integritas fuit inproporcionabiliter excellentius in beatissima virgine quam in aliquo viatore. ergo habuit temperantiam inproporcionabiliter super omnes viatores.

**¶** De speciebus temperantie. Sequitur de speciebus temperantie. que sunt castitas. modestia. et sobrietas. Et primo de castitate. Quod autem beatissima virgo omnem creaturam exercebat in castitate sic probatur.

**¶** In omnibus viatoribus puris hominibus castitas est cum pugna contra fomites. et cum casu ad minus in primum motum venialem. et cum possibilitate cadendi etiam in mortalem. exceptis in utero sanctificatis et apostolis spiritu sancto repletis. in beatissima autem virgine fuit castitas sine pugna fomitis. sine casu mortali. sine possibilitate cadendi etiam casu veniali. ergo castitas eius omni homini fuit inproporcionabilis.

**¶** Item castitas beatissime marie virginis castitatem angelorum quinque gradibus excellit. Est enim multiplicior. nobilior. utilior. gloriosior. laudabilior. Multiplicior. Angeli enim habent tantam castitatem in spiritu. hec autem in carne et spiritu. Item nobilior. quia illa naturalis. ista gratuita. Item utilior. illa enim est naturalis et non meritoria. ista meritoria. Item gloriosior. hec enim sine victoria. illa autem cum victoria. Item laudabilior. hec enim est necessaria. illa vero voluntaria. Patet ergo quod beatissima virgo omnem creaturam excellit in castitate.

**¶** De sobrietate. Sequitur de sobrietate. que dupliciter dicitur. Est enim sobrietas temperantie species. est etiam sobrietas que est abstinentia patris factiois. penitentie et species iusticie. Prima sobrietas est cum pugna in omni viatore et cum errore. et cum possibilitate cadendi in primum motum gulae. sed in beatissima virgine fuit sine pugna. sine errore. sine possibilitate cadendi etiam in primum motum gulae. Ergo excellentius fuit in beatissima virgine sobrietas quam in alio viatore.

Perseverantia  
dicitur dupliciter

De castitate

Virginis castitas angelorum castitates excedit in quinque

Sobrietas dicitur dupliciter